

EXAMEN CENSURÆ

que per Sacra-
menta fiat, Lu-
theranorum
sententia
præfert.

Ostenditur
Censores mo-
dum illum ex-
hibendi quem
definiri a Re-
monstr. possu-
lant, nec defi-
niri usquam,
nec definire
posse.

illos, qui statuunt Sacramenta conferre gratiam, non quod eam pro-
ducant, sed quia Deus ex pacto, in usu Sacramentorum eam produ-
cit & offert, Quippe cum Sacramenta magna ex parte consistant
in sua significatione & significando seu virtute suæ significationis
agant & agere tantum possint, *melius sentire adserit quam Lutheranos*
quos a Luthero potius quam a Christo nomen suum deducere ait, sed ta-
men non omnino rectè sentire non obscure indicat. Deniq; se suo-
que optimè sentire adserit: quippe qui præter significationem ex
instituto Dei suam etiam exhibitionem (*sed modo Sacramentis apto*)
& obfignationem promissionum divinarum, Sacramentis attribuât,
ut videre est Thef. xxix. At, dic sodes, Rivete, quis est ille *modus*
Sacramentis aptus? Hunc enim hic definiri postulas cum Collegis
tuis. *Relativus*, inquis, est & *Sacramentalis*, quo tamen res ipsa verè ex-
hibentur, & obfignantur fidelibus, sed modo spirituali percipiende, ut vi-
dere est Thef. 24. At quæro, inquam, ecquis est ille modus relati-
vus, Sacramentalis, aut spiritualis distinctus a significatione, ut lo-
queris, tum physica, qualis est signorum, quæ Bellarminus practi-
ca vocat, tum morali, qualis est signorum theoricorum? Nec enim
est modus qui oritur ex signorum & rerum significatarum in Sacra-
mentis unione aut connexionem, vel physica, qualis est materiæ &
formæ, vel subjecti & accidentis, per inexistenciam; aut localem,
per indistantiam; aut spirituale, per infusionem virtutis alicuius
in ipsis signis latentis, ut dicis Thef. xxiv. Nec est modus, qui oritur
ex sola significatione virtute Sacramentorum, ut dicis Thef. xxix. Qua-
lis ergo est? Calvinus, uti & Belgica Confessio, ad *occultam & mira-*
bilem virtutem Dei eum referunt: At hoc tantundè est, atq; si dicatur,
incomprehensibilis est & ineffabilis. Hoc verò quid aliud est quam
certum illum modum incertum esse statuere? Dicunt quidem Cen-
sores, *Sacramenta gratiam conferre fidelibus, ita ut non modo significan-*
tia signa, sed & exhibitiva seu media & instrumenta sint, quibus Deus
Christum cum beneficiis suis offert, & in legitimo sanctoq; usu ma-
gis magisq; confert. At dicant, & explicent intelligibiliter modum is-
tum exhibendi Sacramentalem, qui a significatione tum physica
tum morali distinctus sit. Ut enim signum, quâ tale, fiat instrumen-
tum seu medium exhibens rem signatam, citra aut supra significa-
tionem, ἀκατάληπτον est. Nihil enim agit ultra, nec citra speciem
seu virtutem potentiæ suæ. Necessè est, ut si intelligibiliter velint
sententiam suam proponere, exhibitionis istius instrumentalis mo-
dum faciant vel physicum vel moralem: At neutrum faciunt. Quid
aliud